DE TRICHOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. MARTII A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS LOMNICKI

GALITIUS.

OPPONENTIBUS:

V. DYBEK, MED. ET CHIR. DR.

J. CHELMICKI, MED. ET CHIR. STUD.

A. KONCEWICZ, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI

CARISSIMO, BENIGNISSIMO, OPTIMO

AUCTOR.

Trichoma, vulgo plica Polonica, Germanorum *Weichselzopf*, Polonorum *Koltun*, morbus est quidam endemius, de quo jam antiquissimis a temporibus usque ad aetatem nostram a variis medicis variae in medium prolatae sunt sententiae. Quam rem nuper Vladislaus Tyrchovius in libello, cui prae caeteris praemium adjudicatum est, „de trichomate" inscripto et Cracoviae a. 1844 edito, egregie atque multo cum judicio collustravit. Cujus tractatus summa est fere haec: doctos Italos plicam nihil aliud esse contendisse, nisi degeneratam syphilidem; Polonos contra modo peculiarem putasse morbum, modo tantummodo pro discriminis aliorum morborum forma endemia, Poloniae propria habuisse; Francogallos vero medicos, qui Napoleonis signa sequuti Polonorum terram peragrassent, non satis claram hujus morbi percepisse cognitionem, quum praecipuam trichomatis naturam prorsus ignorassent, morbumque ex neglecta capilli cura, majore immunditie et superstitione quadam populi enasci putas-

sent. Jam vero fieri sane potest, ut falsae inveniantur plicae, sed peculiaris hujus mali natura nullo modo negari nequit, quum tam argumentis virorum haud exigua excellentium auctoritate, quam observationibus multifariam factis luculenter et dilucide sententiae de trichomatis falsis refutentur.

Oczapovius in dissertatione sua trichoma dicit peculiarem, varias molestias et vitia exhibentem, coeli denique et soli Poloniae naturae obnoxium morbum, qui implicatione coactioneque capilli conficiatur et quasi sublevetur.

Similes inter se pugnantes medicorum opiniones occurrunt nobis in fonte investigando, ex quo hocce malum emanaverit.

Historia morbi.

Medynius in brevi monographia [1]), hunc morbum tempore expeditionis Argonautarum a Graecis scriptoribus, qui septentrionales Slavorum populos descripsissent, esse depictum, nulla tamen fontium mentione facta, minus recte affirmat. Neque enim apud antiquissimos, nec apud posteriores Graecorum et Romanorum scriptores ulla fit hujus rei mentio.

Schlegelius, practicus in Russia medicus, in libro (*Ueber die Ursachen des Weichselzopfes bei*

---

[1]) Bulletin de la société méd. chirurg. de Montpellier, 1838. IV. 1.

Menschen und Thieren) morbum huncce recentioris existimat esse originis, nisus quidem in eo, quod haud recte tradunt, in usu tondendi capillos, a Casimiro primo, Polonorum rege, inducto, trichomatis originem esse quaerendam, ac ratus, relictos capillos majorem atque auctam, in tonsis capitis partibus suppressam, subire secretionem. Quae quidem sententia medendi gnaris minime arrisit.

Jam vero plerique medicorum trichoma in Tataris primum exstitisse putabant. Princeps eorum Joachimus Pastorius ab Hirtenberg edidit opus inscriptum: „Florus polonicus seu Polonorum historicorum epitome nova Gedani et Francofurti 1679, quo ostenditur, Tataros, invasionem facientes in Polonorum terram, ibidem aquas veneno infecisse, quo malum hocce exstiterit. Quam sententiam sequuti sunt Skuminovius, Plempius (1662), Gehoma (1683), Erndtelius (1730), Stabelius (1724), Juchius (1737), Mich. Scheiba (1739), Rzączynius (1721—1742), Vicatus (1775). In Germania Stabelius, in Polonia Rzączynius et Erndtelius hunc divulgabant errorem, qui in libri Plenkii, Lafontanii, Brerae, Salvagii, Sprengelii, Richteri, Raimanni repetebatur. Czackius quoque in epistola ad medicum Bartschium scripta similiter hac de re judicabat. Attamen horum scriptorum magnopere inter se discrepant sententiae de origine atque causis trichomatis; alii enim aquas veneno imbutas accusant, alii Ta-

taros ipsos illo malo affectos esse Poloniaeque incolas infecisse putant. Verumtamen antiquiores Tatarorum incursionum scriptores nullam hujus morbi faciunt mentionem, et sub finem saeculi XVI trichoma novus atque inauditus in Polonia vulgo putabatur morbus. Ceterum descripti illo tempore morbi epidemii nihil aliud sunt, quam pestilentiae, quae nostris quoque temporibus plerumque bello exorto nasci solent. Quod pertinet ad inficiendas veneno aquas, meram esse fabulam liquet, quum etiamnunc nonnullis aquae fontibus vulgi superstitione similis vis quaedam efficaciaque tribuatur. In descriptionibus Tatarorum vitae morumque ne vestigium quidem morbi, de quo agitur, invenitur, atque etiam medici recentiores, qui in regione Caucasi, Chersonesi Tauricae et Colchidis commorantur, proindeque Tatarorum stirpes haud ignorant, nullum adhuc ibidem conspexerunt trichoma.

1. Josephus Frankius [1]) plicam censet nulla re nisi localisatione a lepra differre, itaque plicam una cum lepra saeculo XIII p. Ch ex Asia in Europam esse translatam. Quae quidem opinio nullis prorsus firmari potest argumentis.

Doctor Wesseus nonnullos ante annos vanas Schlegelii et Pastorii labefactavit opiniones in commentario: „*Ueber das Alter der Plica*" [2]),

---

[1]) Mémoire sur la plique polonaise. Viln. 1814.

[2]) Rust's Magazin für die Heilkunde.

auctoritate **Herculis Saxoniae**, **Petricii**, **Erasmi Sixti** et **Sirenii** nisus originemque morbi intra annos 1585 et 1595 constituens.

Jam opinione praejudicata a Wesseo convulsa, **Gąsiorovius** litem prorsus composuit libro suo, qui inscriptus est: „Zbior wiadomości do historyi sztuki lekarskiej w Polsce," a. 1839 edito, quo demonstrare studet, plicam ante saeculum XVI Polonis plane ignotam fuisse, neque prius quam anno 1595 emersisse. Sententia haec magnopere firmatur litteris **Starnigelii**, rectoris academiae Zamosciensis, ad professores Academiae Patavinae scriptis, quibus, dum de novo in Polonia morbo exorto loquitur, plicae formam perfectam nobis depingit.

Florianus Zakrzevius in libro (*Medizinisch-litterarische Geschichte des Weichselzopfes. Wien 1830*) suspicatur, incolas Russiae rubrae jam antiquitus leviore trichomatis specie fuisse affectos, ad quam sententiam falsa veteris bohemici codicis interpretatione eum esse adductum satis constat.

Marcinkovius[1]) plicam, post hominum memoriam in Polonia inveteravisse contendit, tonsuramque capitis jam ante institutam religionem christianam quasi prophylaxin morbi praeceptum fuisse ostendit. Attamen inductio usus tondendi capillos, prophylaxin quandam praebentis, nullis corroboratur argumentis historicis.

---

[1]) Uwagi nad historyą i naturą koltuna. Krakow 1836.

Oczapovius in libro: „Praktyczny wykład chorób koltunowych i. t. d. Warszawa 1839“ brevem dedit conspectum de trichomate, cujus originem antiquissimis in temporibus quaerendam putat. Quae quidem de loco atque tempore argumenta allata sunt, ea prorsus sunt inania nullisque documentis firmata.

Verum enim vero plicam minime Poloniae tantummodo peculiarem esse morbum constat, sed eadem etiam in Germania invenitur. Etenim Joannes Schenkius a Grafenberg, medicus Friburgensis, in opere suo „Observationum medicorum variorum de capite humano Lib. I. Basileae 1584,“ observatione XIII trichomatis, serioribus medicis prorsus ignoti mali, imaginem fere ad vivum pictam nobis praebet, plicam ipsam nihil aliud nisi endemium quendam morbum esse arbitratus, qui in regionibus Brisgoviae, Alsatiae, Belgiae et in locis nonnullis ad Rhenum sitis reperiatur.

Sub finem saeculi XVI Hercules Saxoniae[1] in Hungaria plicam non solum in hominibus, verum etiam in equis observavit.

Prolatae adhuc doctorum virorum sententiae partim veritatem fere attingunt, partim merae sunt divinationes conjecturaeque, firmis argumentis omnino carentes.

Multae ac multo graviores de plicae in Polonia

---

[1]) De plica. Pataviae 1600.

rtae primordiis exstant causae in libris ejusdem erræ medicorum. Laurentius Starnigelius, ector academiae Zamosciensis anno 1599, in novi- ate ac medendi difficultate hujus morbi causam onit epistolae ad professores Academiae Patavinae m supra memoratae.

Erasmus Sixtus, medicus Leopolitanus a. 617, trichoma novum sanatuque difficilem appellat orbum.

Rodericus a Fonesca Pisanus 1625 plicam 'oloniae haud notum dicit esse malum.

Joannes Innocentius Petricius, professor cademiae Cracoviensis, praeclarum composuit li- rum: „O wodach w Drużbaku i Łęckowej. Kra- ów. 1635," quo trichomatis, ut prorsus novi morbi, cit mentionem.

Christophorus Naimanovius (Najmanowicz) dissertatione sua inaugurali (Cracoviae 1610) pli- am novum omnino et inauditum adhuc appellat orbum.

Duorum tantummodo virorum sententiae de aetate ichomatis inter se discrepant, Herculis Saxo- iae, secundum quem morbus hic multo prius ob- ervabatur in Germania, et Danielis Sennerti, rofessoris Vitebergensis, qui trichoma magis inve- eratum putat malum, quoniam causae, quibus mor- us hicce gignatur, etiam prius exstitisse deberent. Iihilo tamen minus utrumque judicium idoneis ra- ionibus rem minime probat, nam etsi plica majorem

in Germania prae se fert aetatem, nequaquam hinc sequitur, trichoma serius in Polonia exstitisse. Ceterum nonnullas videmus etiam partes (Pocutium) hodie hoc morbo prorsus liberas, quamvis antea eodem maxime vexarentur. Aeque falsum est, ante XVII saeculum non fuisse doctos in Polonia medicos, qui malum istud vulgare describerent. Cuique enim sunt noti docti Poloni, medendi gnari, qu multa eruditione excellentes auctoritatem et decus Universitatis Jagellonicae sustinebant, ac saepenumero ab externis principibus desiderabantur et ar cessebantur. Jam igitur haud dubium est, quin trichoma saeculo XVI novus quidam recte observaretur morbus, omnesque de aetate sententiae meras sint conjecturae neque dignae, quibus fidem habeas.

Auctoribus Ocello (Oczko), Hercule Saxonia, Roderico a Fonesca, Theophr. Veric Scoto, origo plicae in annum 1570, Erasm Sixto autem et Joanne Innocentio Petrici in annum 1595 est ponenda. Tyrchovius ver opinatur, trichoma jam prius mitiore exstitisse forma sicuti nunc quoque in Lithuania, quum jam ab Hieronymo Spiczynio (1542), a Martino Siennikio (1568), a Sirenio (1613) in herbariis plica nomen adhibitum reperiatur, neque prius quam circ annum 1570, quo Starnigelio auctore morbus hi malignam contagiosamque induit naturam, et magna Poloniae partem pervasit, medici de plica scriber inciperent.

Ocello, Sirenio Petricio, Starnigelio auctoribus plica inde a Pocutio, parte quadam regni Halicz, circa annum 1570 specie maligna Leopolin transcendens late evagata esse, anno 1580 in Podolia locisque circumjacentibus, et sub finem saeculi XVI jam in Polonia Parva exstitisse, denique sensim sensimque per Poloniam Magnam diffusa esse dicitur.

Symptomatologia.

Explanatio seu decursus trichomatis tribus omnino dignoscitur stadiis:

1. stadio prodromorum,
2. stadio eruptionis et formationis plicae, denique
3. stadio exitus et morborum subsequentium.

I. Stadium prodromorum.

Multiplices sunt molestiae, quae per hebdomades, menses adeoque per nonnullos annos praecedunt. Aegroti conqueruntur de doloribus vagis eodem modo, quo de vaga arthritide et rheumatismo; inprimis exoriuntur molestus pruritus in capite achoribus junctus; formicatio quaedam sub cute, dolores sub unguibus, in membris; rigor in cervice et regione sacrali, vehemens vertigo diversaeque alienationes sensuum, susurrus aurium, ophthalmalgia, continua cephalalgia, noctu praecipue

vehemens, male olentes, non permanentes et sublevantes sudores; interdum aegroti lumina oculorum amittunt, obsurdescunt, fiunt claudi, mentis errore afficiuntur, spasmis et convulsionibus cruciantur, edendi appetitum amittunt, anomalis opprimuntur desideriis — lingua eorum obtecta, pressio ventriculi, frequentes ructus, acidus et acerbus in ore gustus, alvus dura, oppressio pectoris; suppressio et perturbatio mensium in mulieribus, plerumque cutis pallida cachectica, universalis languor et delassatio. Quibus numero et vehementia mutabilibus symptomatis post aliquot hebdomades aut multos menses accedunt haud dissimilia febri, rheumaticae aut paroxysmo arthritidis acutae cum sensu formicationis et punctionis in tegmine capitis piloso symptomata febrilia, quae, rebus faventibus, tribus vel septem post diebus gravi absoluta crisi, sub acuta ceruminis secretione, sudoribus capitis, universalibus peculiariter nauseoseque redolentibus, modo repente, modo paulatim una cum exoriente plica evanescunt. Febris haud raro typum intermittentem habet, saepenumero desunt etiam omnes supra commemorati prodromi trichomaque inter sextam et vicesimam quartam horam exoritur. Morbis, quibuscum plica endemia sese tanquam crisis consociare potest, nervosae quoque rheumaticae et puerperales febres, hystericae et hypochondriacae adnumerantur molestiae.

II. *Stadium eruptionis.*

Capilli, sub exhalatione sudoris peculiariter olentis, haud raro non sine rubris cutis maculis urbidaque urina sedimentosa, deminutis symptomatis, inter se concrescunt, conglutinantur, una um materiae pinguis et mucosae effusione. Exritur pruritus molestus, sensus punctionis in cutis egionibus, pilis obtectis, dum pili primum in bulis, modo singulis tantum in locis parvis, modo oto in capite, at perraro in barba, in foveis axilaribus et in regione circa pudenda, paulatim ad xtremam partem conglutinantur, cirri autem in asi vel maxime crassi et humidi sunt. Cutis tuida, dolens, squamosa, plerumque caput pediculis ub trichomate nascentibus abundat. Sensibilitate utis dolores excitantur, cirro moto. Sudores male edolentes et excretiones urinae plerumque etiam unc exstant, quibus saepenumero accedit formaioni plicae pari modo praecedens deformatio quaeam unguium. Radix unguium primum tanquam lba, sebo simili materia obducta apparet, tum orum degeneratio evolvitur atque, dum trichomaosa dyscrasia durat, molles informesque exstant t usque exfoliantur. Saepe fit, ut plica interdum el brevissimo temporis spatio accrescat; multo aepius autem tardius particulatim accrescit, donec otum caput obtexerit.

III. Stadium exitus.

Jam liquoris tenacis secretio cessat, capillitium siccatur, capilli insolito vigore pullulantes efficiunt, ut trichoma magis magisque a cute separetur, removeatur et sine dolore moveri, sine periculo abscindi possit. Saepe frequentes per cutem et renes fiunt secretiones. Aegroti haud raro jam per breve temporis spatium sanitate gaudent, formationes plicae iterantur et haud difficile est, in cirro signa gradatae formationis discernere, paria numero recidivorum morborum, qui, ut saepe fit, intermissionibus diversis et longis, haud raro usque ad supremum diem repetantur; in nonnullis etiam aegrotis morbus recidivus tertium intra et decimum annum comparuit. Si aegrotus, plica jam exorta, refrigerio se exponit, si plica non justo tempore resecatur, vel potius si irritantes psychici quidam affectus vim exercent, levem tantummodo levationem topicam reperimus, affectionesque minus validae ab uno ad alterum disceduni organum. Dolores capitis cessant, subsequentibus doloribus ventriculi et membrorum; ophthalmia cessante multo periculosiores excitantur inflammatione cerebri, pulmonis, ventriculi, intestinorum, aequ atque apoplexia, epilepsia, amaurosis, cyphosis, paresis, melancholia, hypochondria, hysteria, vesania degeneratio hepatis, pertinaces diarrhoeae, phthisis praesertim si trichoma tempore eruptionis resecatur Deformata trichomatosa dyscrasia influente, facil

fieri potest, ut carcinomatosa ulcera in fauce, longe diffusae exulcerationes in extremitatibus, praesertim in digitis, dolorificae intumescentiae artuum et excrescentiae ossium, in cariem exeuntes, formentur. Soluta etiam medicamentis dyscrasia saepenumero variae restant turbationes.

Si plica rite et sine turbatione formatur, vix letalis exitus efficitur, qui plerumque metastasibus, degeneratione morbi, multo rarius marasmo et ob profusas secretiones hydrope excitatur. Magni revera et critici quidem momenti est trichomatis formatio, praesertim quum multi acuti morbi, qui alioquin haemorrhagiis, sudoribus, urina, aliterque dijudicantur, saepe intra spatium 12—24 horarum, coactione capillorum accedente, tollerentur. Idem valet in morbis chronicis.

Character anatomicus.

Bulbi pilorum amplificati luteolo quodam exsudato impleti sunt. Guensbergius et Valtherus Kijoviae recentioribus temporibus materiam hancce exploravere, eamque ex fungosis compositam esse epiphytis arbitrantur. Capilli, in plicam abeuntes, odorem haud amoenum exhalant per effusionem tenacis, pinguis, mucosae, allium et acetum corruptum redolentis materiae. Si plicam e transverso resecas, ex interstitiis capillorum stillatim exprimere poteris huncce liquorem, qui fusco colore aëri expositus

exarescit. Quam materiam Alibertus comparat cum rancida pinguedine, Schlegelius cum oleo. Vaquelinus et Alibertus in plicae capillis invenerunt elementa eadem atque in sanis. Secundum Eble autem neque in externa forma neque in interna textura horum capillorum quidquam peculiare reperitur. Forma trichomatis diversissima est, et praesertim pendet ex longitudine capillorum et modo, quo prius pectebantur. Itaque sunt, qui plicam forma monstrosi tori, nidi, placentae, cirri crassitudine et longitudine diversissima animadverterint, immo etiam interdum longitudine decem pedum et latitudine duodecim digitorum. Etiam capilli pubis implicati quandoquidem haud parva sunt longitudine. Ungues in nonnullis casibus non genuinum referunt colorem, atri, crassi, asperi, rauci, gibberosi, fissi, curvati, et saepenumero animalium ungulis et cornu hircino haud dissimiles, quod patet ex denominatione deformationum, griphosis, gryposis, onychexalaxis.

Alienationes morbosae organorum internorum nullo fere signo characteristico indicantur.

Natura morbi.

In numero scriptorum antiquiorum Starnigelius, nostra aetate Larrey contendebant, morbum hunc nihil esse nisi formam syphilidis climate et vitae ratione modificatam. At plica coitu non communicatur. Id, quod hydrargyrum hoc in morbo

magno est usui, nihil probat, quoniam prosper medicamenti variis in morbis successus non sufficit ad judicium faciendum, varios illos morbos nihil inter se differre. Id quidem negari nequit, plicam haud raro una cum syphilide existere; quod si ita est, utraque singulum constituit morbum. Alii sicuti F. G. Richterus et Brandtius arthriticam affectionem esse plicam statuunt, proindeque materiam arthriticam in capillis seponere, quia agricolae Polonici caput mitra pellicea obtegant, reliquis corporis partibus fere nudis. Quae res si ita se haberent, causa plicae in barba ac pilis circa pudenda diligenter tectis obviae minime posset explicari. Atque etiam feminae agricolarum Polonicorum intecto prorsus capite incedunt. Ceterum omnino arthritidem inter et plicam affinitas quaedem intercedere videtur.

J. Frankius plicam leprae speciem esse opinatur; verum tamen capillorum natura in utroque morbo prorsus diversa, quum in lepra capillos nutrimento carentes albescere et excidere constet. Schlegelio auctore caput tondendo omnibus climatis vicissitudinibus expositum nudis in partibus ab exhalatione prohibetur, quae multis turbis in corpore excitatis, in reliquos pilos critice deponitur; attamen haec consuetudo in Polonia jam dudum desiit, plica vero nondum disparuit. Nec mundities ullam causam suppeditat, quoniam homines etiam elegantioris cultus hoc malo afficiuntur. Ceterum et

in animalibus, quae eodem morbo haud raro affliguntur, non majorem in Polonia, quam alibi immunditiem et neglectionem conspicimus. Nostra ergo aetate aliae hac de re exstiterunt sententiae. Multis trichoma peculiaris dyscrasia esse videtur, cujus productum pathicum in bulbis pilorum secernitur, aeque atque in arthritide, natron uricum in artubus deponente. Excretione impedita, materia peccans in organismo multifaria incommoda symptomata et molestias excitat. Multiplicia symptomata, quae trichomati praecedunt, accuratius observantes, in magnas diversitates, saepe sibi contradicentes, incidimus ita, ut potius ad illam Marcinkovii sententiam accedere cogamur, qua plicam nullam peculiarem dyscrasiam efficere demonstratur, sed potius endemiam illis regionibus crisim, qua pathica excretio in bulbis pilorum efficiatur, omnesque omnino affectiones morbosae dijudicentur. Denique nonnullis plica neque productum dyscrasiae cujusdam, neque crisis esse videtur, sed tantummodo affectio localis, pilorum bulbos spectans, quae quidem sententia minime est comprobanda.

Critica formationis plicae ratio ad varios morbos jam saepius est observata, quam ut casus fortuitus tantummodo inter causas referri possit. Diversitas affectionum plicae praecedentium hanc significationem criticam probabiliorem videtur reddere. Veruntamen molestiae, ex suppressione plicae natae, ejusmodi sunt, ut trichomatosa dyscrasia negari nequeat.

Aetiologia.

Hodiernae loci conditiones multis modis sunt mutatae. In Pocutio, prima trichomatis sede, sicut et in ceteris Poloniae regionibus, olim Russia Rubra nominatis, in Podolia, Ucrania, morbus noster fere penitus evanuit, singulis modo casibus exceptis. In palatinatu Cracoviensi et Sandomiriensi, praecipue in terris ad sinistram Vistulae ripam sitis, morbus jam frequentior; plurima et pertinacissima trichomatis exempla, auctore Oczapovio, ad Nidam fluvium, in Mohiloviae regione, territorio Pinscensi, palatinatu Lithuano Brescensi grassari dicuntur. Nunc Germani ab hoc malo liberi sunt, exceptis nonnullis extraneis. Situs harum regionum, in quibus parvi tantum tractus montium, at plures inveniuntur rivi, aquae stagnantes, paludes, silvae, immite atque inconstans clima, pro praecipua causa endemia habetur. Victus vilis, vestitus futilis, mala domicilia agricolarum Polonicorum, frequenter perfrigescentium, usus vini adusti, caput mitra pellicea tectum multum valent ad formationem trichomatis. Quod quidem plurimum proficit ad disseminandam plicam est mira quaedam superstitio vulgi Polonici, qua omnes quicunque sunt morbi, a plica deducuntur. Etenim experientia docti, magnam affectionum partem plica exorta placari, eam provocare magnopere student, etiamsi natura alio abiisset. De industria

igitur capillos pectere negligunt, cucullo caput obtegunt, quo jam pridem hoc malo correptus utebatur, partem quandam trichomatis delapsi inserunt capillis, quos ceratis liniis in sarcinam colligunt, ceraque, pice et resina conglutinant; nonnulli delapsam plicam digerere solent in vino adusto, de quo quotidie nonnullos bibunt scyphos. Aucta hoc modo secretio pilorum interdum in affinitatem quandam cum universo malo paulatim abit, et sub vi endemiarum causarum saepenumero characterem minus firmum revera accipit. Divulgatio trichomatis contagio, nempe concubitu, usu tegumentorum lecti, infantibus adhibendo nutrices plicosas, nostris temporibus in dubium vocatur. Plica endemia enim, haud raro hereditaria et innata, omnes aetates omnesque generationes sine ullo discrimine corripiuntur. Color capillorum nihil valet ad dispositionem morbi. Homines Slavicae stirpis magis aliis praedispositi sunt. Impulsus exoriundae plicae quaerendus est potius aliis in morbis, vehementibus animae affectibus aliisque rebus.

Prognosis.

Prognosis haud prospera est ponenda, namque plica jam per se malum est vel pertinacissimum, perdurans atque quibusdam sub conditionibus etiam periculosum. Periculum enim imminet possibili turbatione depositionis producti morbosi in externo

corpore, metastasibus et affectione organorum internorum, quae provocantur plicosa dyscrasia. Si prodromi diu non durant et plane cessant sub secretionibus supra commemoratis, sicuti urina, sudore atque eruptione plicae, prognosis evadit fausta. Ubi vero prodromi justo diutius aderant, saepe revertentes novam semper morbosae materiae secretionem efficiunt. Nec prospera habentur diuturnitas affectionum nervosarum plicae praecedentium, morbosa, paralytica symptomata, imperfecta trichomatis formatio, debilitas virium, repentina secretionis cessatio, juncta cum morbosis internorum organorum symptomatis. Secundum J. Chromy spatio decem milliariorum quadratorum e numero XXV millium hominum, singulis annis inter se comparatis, 30 — 50 moriuntur.

Therapia.

Maximi fere momenti est cura prophylactica, qua in abhibenda conflictandum nobis est summa cum superstitione, obsoletis consuetudinibus, praesertim vero cum paupertate, in qua plebs infima vitam degit. Domicilia igitur in altiore, salubriore et sicciore loco exstruenda sunt, nutrimentum convenientius instituendum, superstitioque, qua ducti plicam remedium omnium omnino malorum putant, tollenda. Constat enim, accuratissima diligentia aptaque cura morborum, qui accidere possint, eruptionem tricho-

matis supervacaneam fieri. In stadio prodromorum character universae reactionis et subsequentes casus in nervorum et chylopoetico systemate etc. modum rationemque medendi nobis indicant, qua in re localisatio externa materiae morbosae turbari non debet, quum alia secretionis organa, sicuti renes, alvus, etsi adhibitis medicamentis efficacibus, hanc secretionem efficere non possint. Multum prodest usus remediorum diaphoreticorum. Contra gastricismum et affectiones nervosas indicata sunt emetica, antispasmodica etc.

Formationi plicae favent caput a frigore bene munitum, sinapismi, vesicantia ad nucham, cataplasmata tepida, ex farina seminum lini, herba lycopodii selaginis, vinca pervinca, foliis uvae ursi parata, interne decocta lignorum et vincae, antimonialia, guajacum, camphora, moschus (gr. iij p. d.), balnea vaporaria. Febris requirit tractamen characteri respondens, verumtamen venaesectio cautissime instituenda, ob sequelas saepe iniquas. Si plica nimis tarde formatur, eruptionem irritantibus topicis interneque adhibitis promovendam esse constat. In cachexia et debilitate praesenti remedia tonica impendenda. Mercurialia decoctum lignorum, arsenicum tanquam specifica non probantur. Dyscrasia aliis in organis quam in cute deposita, methodus alterans instituitur.

Jam vero si dyscrasia sine vestigio quodam evanuit, plica sicca sanisque capillis inhaerens, pol-

icem aut duos pollices a cute distans, particulatim sine damno resecari potest, attamen prius fonticuli applicandi sunt maximeque refrigerium capitis praecavendum.

Quando plica coërcita metastasis quaedam exorta est, vel citissime secretio restituenda in loco primitus affecto, adhibitis cataplasmatibus, sinapismis, unguentis acribus et irritantibus, quibus interne porrigenda diaphoretica adduntur. Insitio nondum prospere evenit. Casus diversi, qui in decursu morbi incidere possint, curam formae et characteri respondentem requirunt.

LITERATURA.

Spiczyński, H., O' ziołach tuteczny i zamorskich. Kraków 1542.

Siennik, M., Herbarz t. j. ziół tutecznych i. t. d. opisanie. Kraków 1568.

Oczko, Cieplice. W Kracowie 1578.

— Przymiot albo dworskanicmoc. W Krakowie 1581.

Schenk Georg a Grafenberg, Observat. med. rariorum de capite humano. Basileae 1584.

Hercules Saxonia, De plica. Patavii 1600.

Minadous, J. T. De morbo cirrhorum. Patavii 1600.

Naimann, Ch. De plica Cracoviae 1610.

Syreński, Sz., Zielnik. Kraków 1613.

Syxtus Erasmus, O cieplicach w Szkle pod Lwowem. W Zamościu 1617.

— — Commentarius medicus in L. Annaei Senecae opera. Leopoli 1627.

Rodericus a Fonesca, Consultationes medicae. Francofurti ad Moenum 1625.

Sennert, D., Practicae medicinae libri VI. Vitebergiae 1628.

Petrycy, J. J., O wodach w Drużbaku i Łęckowy. Krakow 1635.

Plempius, V., De affectibus capillorum et unguium tractatus. Lovanii 1662.

Davidson, Plicomastix. Dantisci 1668.

Haur, Skarbice znakomitych sekretów Ockonomicy ziemjańskiej. Kraków 1693.

Gehema, A. De morbo vulgo dicto plica polonica. Vratislaviae 1712.

Bonfigli, Plica polonica novissime explicata. Cracoviae 1720.
Rzączyński, G. Historia naturalis curiosa regni Poloniae. Sandomiriae 1721.
— Actuarium historiae naturalis. Dantisci 1742.
Stabel, Dissertatio de plica. Halae Magdeburgicae 1724.
Erndtel, Varsavia physice illustrata. Dresdae 1730.
Vicat, P. R., Memoire sur la plique polonaise. Lausanne 1775.
Gabriel, De plica polonica. Budae 1780.
Compendium medicum auctum. Częstochoviae 1789. Ed. V.
Nusstaller, Praktische Abhandlung über den Weichselzopf. Wien 1790.
Gilibert. Adversaria med. pract. Lyon 1791.
Hoffmann, Beschreibung des Weichselzopfes etc. Königsberg 1792.
De la Fontaine, Chir. med. Abhandl. verschied. Inhalts, Polen betreffend. Breslau 1792.
— — Dziennik zdrowia. Warszawa 1802.
Perzyna, Lekarz dla włościan. Kalisz 1793
Brera, V. L. Sylloge opusculorum. Vol. I. Pav. 1798.
Wolfram, J. G. Vers. üb. d. höchst wahrsch. Ursache und Entstehung des Weichselzopfes etc. Breslau 1804.
Schlegel, Ueber d. Ursachen d. Weichselzopfes. Jena 1806.
Chromy, Najnowsze postrzezenia nad chorobą kołtunową. Kraków 1809.
Hecker, A. F., Gedanken über die Natur und Urschen des Weichselzopfes. Erfurt 1810.
Rumfeld, Neueste Ansichten des Weichelzopfes etc. Freiberg 1843.
Frank, Jos., Acta clinica a. 3—6. Lips. 1812.
— — Memoire sur la plique polonaise. Par. 1813.
Godowski, L. I., Sur la plique polonaise. Par. 1814.
Steinkühl, Der Weichselzopf in Deutschland. Würzburg 1817.
Kaczkowski, Dissert. inaug. de plica polon. Vilnae 1821.
Rondi, Pathologie des Weichselzopfes. Berlin 1828.
Zakrzewski, Flor., Medicin.-litterarische Gesch. d. Weichselzopfes. Wien 1830.
Leo, Magazin f. Heilkunde in Polen. Warschau. 1., 2., 3. Jahrg.

Natuszyński, Ueber die Natur und Behandlung des Weichselzopfes. Tübingen 1834.

Marcinkowski, Uwagi nad hist. i naturą koltuna. Kraków 1836.

Kühlbrand, In Kleinert's Repertorium. Bd. 2. H. 3. p. 118. 1827.

Beschorner, Der Weichselzopf nach statist. und physiol. Beziehungen. Breslau 1843.

Lessing, Handbuch d. Geschichte d. Medizin. Berlin 1838.

Wizerunki i Roztrząsania naukowe. Poczet II. T. II. Wilno 1839.

Gąsiorowski, Zbiór wiadamości do historyi sztuki lekarskiéj w Polsce. Poznań 1839.

Medizinische Praxis. Berlin 1841.

Baum in Rust's Magazin 1842.

Günsburg in Müller's Archiv 1845.

Moll in Rust's Magazin 1845. Bd. XLIV.

Tyrchowski, Vlad., De Trichomate commentatio hist. med. Cracoviae 1844.

Canstatt, Medizinische Klinik. Erlangen 1847.

V I T A.

Natus sum ego Carolus Łomnicki Mołotkoviae, vico in Galitia Austriaca sito, anno h. s. XXIV die XXVI Decembr. patre Jacobo, salinis praeposito, matre Rosalia, e gente Gałęzowska. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis domi imbutus anno undecimo aetatis gymnasium adii, et schola absoluta, ad universitatem Leopolitanam me contuli, studio philosophiae, botanices, chemiae, physices, anatomiae, physiologiae, pathologiae et therapiae generalis, materiae medicae, diaeteticae, artis veterinariae operam navaturus. Denique in universitate Viennensi frequentavi scholas illustrissimorum, Valtmannii doctrinam chirurgiae et exercitationes clinicas; Vavruchii doctrinam pathologiae et therapiae specialis; Raimannii clinicas medicas; Rosasii exercitationes theoreticas et practicas ophthalmiatricas; Berntii medicinam forensem; Birlyi artem et scholam obstetriciam; Grafii acologiam, desmurgiam et exercitationes practicas operationum; Berresii exercitationes anatomicas practicas. Tunc a. h. s. XLVII m. Octob. Berolinum me contuli. Hic ab Ill. Mueller, rectore magnifico, inter cives almae litterarum universitatis receptus nomen apud Ill. Juengken, facultatis medicae t. t. decanum, rite sum professus. In studiis autem meis duces mihi fuere viri illustrissimi, doctissimi, celeberrimi:

In mineralogia Ill. Rose; in clinica chirurgica Ill. Juengken; in clinica medica Cel. Wolff; in clin. syphilitica Cel. Schmidt; de cognoscendis et curandis animi morbis Ill. Ideler; de morbis infantum Cel. Ebert.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis ac summopere colendis, gratias ago semperque habebo quam possum maximas.

Jam vero, tentaminibus, tam medico, quam rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Morbi ex refrigerio oriundi sunt abnormes reflexus actiones, quae noxia gignuntur vi effectuum atmosphaerae in sensibiles nervos cutaneos per contactum provocatorum.
2. Neque dilatatione, neque cauterio, sed potius incisione strictura organica urethrae tollitur.
3. Artificiosa aquarum mineralium imitatio manca est et nativis haud plane aequiparanda.